





DISSE<sup>17</sup>RAT<sup>T</sup>O IN<sup>A</sup>UGURALIS CHYMICO-MEDICA,  
DE  
**BORACE,**

*Dyan.*

AUSPICE DEO PROPITIO,

*Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE  
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE

*Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXLV. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR ET RESPONDENS

**HENRICUS CONRADUS RENNEWALD,**  
GOSLARIENSIS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DRESSTEATIPUS LIBERALIS CATHOLICAE MEDICAE

# BORACI

LIBERALIS CATHOLICAE MEDICAE

ALBERTI FRANCISI MINDEN

LIBERALIS CATHOLICAE MEDICAE

ALBERTI FRANCISI MINDEN

ALBERTI FRANCISI MINDEN

V I R O

FAMA, MERITIS, MUNERIBUS CELEBRATISSIMO,  
ILLUSTRI, CONSULTISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERIEN-  
TISSIMO, AMPLISSIMOQUE DOMINO,

D O M I N O

D. MICHAELI ALBERTI,

SACR. REG. MAJEST. BORUSS. AULICO ET CONSISTO-  
RI QUOD MAGDEBURGI EST, CONSILIARIO, MEDICÆ  
FACULTAT. IN ACAD. HALENSI SENIORI MAXIME VE-  
NERANDO, MEDIC. ET PHILOSOPH. NATUR. PROFESS.  
PUBLICO ORDINARIO, REIPUBL. NORIMBERG. PHYSICO  
ORDINARIO, COLLEGII CÆSAREI NATURÆ CURIOS.  
ET SOCIETAT. SCIENTIAR. BORUSS. SODALI  
CELEBERRIMO,

MÆCENATI, PRÆCEPTORI ET PROMOTORI  
FILIALI AMORE ET OBSERVANTIA DEVENERANDO,

HANCCE DISSERTATIONEM

IN DEBITI ET GRATI ANIMI TESTIMONIUM  
CUM ARDENTISSIMO SEMPITERNÆ FELICITATIS VOTO  
SUBMISSE

D. D. B.

A U C T O R.

VIR ILLUSTRIS  
EXCELLENTISSIME, EXPERIENTISSIME,  
DOCTISSIME,  
MÆCENAS AC PATRONE  
OMNI OBSERVANTIE ET PIETATIS CULTA  
PROSEQUENDE.

**Q**uando tuorum, PATRONE COLENDISSIONE, beneficiorum, quæ innumera & singulari plane modo in me contulisti, recordor, profecto non possum non lætabundum ac gratum meum animum declarare. Quartus jam annus est, quo in domum tuam benebole me recepisti, & quo lateri tuo fui quasi affixus. Quanta, quanta! in quam in hoc temporis spatio atua, PATRONE DEVENERANDE, liberalissima manu expectavi & accepi benefacta? Nonne gratulari mibi possum, quod a lateri-

teribus TANTI VIRI semper fuerim? Nonne felix sum  
aestimandus dogmata medica eruditione singulari plena  
ex ore tuo percepisse? Manu enim me quasi duxisti ad  
scientiam medicam veram addiscendam & verba tua mi-  
hi semper fuerunt aurea. Et quod maximum est, tua  
certe, PATRONE COLENDISSIME non satis de-  
predicanda liberalitate, eximia humanitate, & admiran-  
da benevolentia factum est, ut tam festinante pede am-  
plissimum studii medici campum percurrere, oculisque fu-  
gitivis flores illius tantummodo intueri ne sim coactus,  
quod alias sane propter res domi angustas fieri deberet.  
Verbo, si benefacta, quibus me plus, quam patro more  
cumulasti, hic recitare vellem, essent innumera, & charta  
haec ad ea condigne laudanda & amplificanda non suffi-  
ceret. Contentum te, VIR ILLUSTRIS, fore arbitror,  
quando aperte & ex sincero pectoris affectu fateor, me  
permultum tibi debere. Nam dudum quidem optavi oc-  
casione, qua gratum meum tibi, PATRONE OPTI-  
ME, declarare possem animum, sed haec tenus felicitas illa  
mibi non contigit. Nam vero mibi datur potestas, ali-  
quo modo saltum gratam meam mentem tibi, VIR IL-  
LUSTRIS, hisce pagellis, tanquam primitiis ingenii mei  
tenuis offerendi. Consecro itaque tibi, MÄCENAS  
OPTIME, hanc meam Dissertationem Inauguralem. Ac-  
cipe, queso, illam serena fronte, eamque tanquam submis-  
si & grati mei animi tesseram intueri haud designare.  
Quodsi autem, VIR ILLUSTRIS, in hac Dissertatione  
quid invenires, quod tuum esset, benebole perpendas ro-

go, me nihil, nisi quod TUUM est, TIBI offerre posse;  
omnia enim, quæ de scientia medica habeo, ex ore TUO  
eruditissimo percepi. Quod vero reliquum est, nihil ma-  
gis in votis habeo, quam, ut summus Archiater TE, PA-  
TRONE COLENDISSIME, tanquam FRIDERICIANÆ  
& Orbis Eruditi ORNAMENTUM TUÆQUE SPLEN-  
DIDISSIMÆ FAMILIÆ fulcrum & solarium in seros  
conservet annos, quo fiet, ut tam FRIDERICIANA,  
omnesque Eruditi & tua FLORIDISSIMA FAMI-  
LIA habeant, de quo non minus gloriari, quam gratu-  
lari sibi possint. Vale, VIR ILLUSTRIS & illi amo-  
rem & favorem TUUM ulterius largire, qui omni sem-  
per obseruantia & devotione erit

VIR ILLUSTRIS  
EXCELLENTISSIME, EXPERIENTISSIME,  
MAGNI TUI NOMINIS

cultor obsequiosissimus

HENRICUS CONRADUS RENNEWALD.



## PRÆFAMEN.



Ultoties mecum cogitavi,  
quale pro Dissertatione In-  
augurali mihi eligere pos-  
sem Thema cum ubique  
& de omnibus, quibus cor-  
pus humanum corripitur  
affectibus satis superque  
jam actum sit & scriptum.

De Panaritio quidem, tanquam morbo chirurgico,  
ab intuitu quidem leviori, sed ob concomitantia il-  
lum symptomata graviori, affectu differere mihi ani-  
mus fuit, sed nescio, quo casu factum, ut diversæ  
jam de hoc affectu Dissertationes mihi in conspectum  
venirent, quare hanc tractationem, quam jam in-  
ceperam, iterum omisi. Verum enim vero, cum  
fors

sors ita tulerit, ut præterito hyemali semestri Dn.  
**D. PRÆSES** in suo Collegio Chymico dogmatico-  
experimental, quod frequentandi summa mihi semi-  
per fuit voluptas, ad explicationem Boracis perve-  
nisset, inter alia etiam & quasi in parenthesi mentio-  
nem faciebat, quod, quantum *sibi* constaret, de  
hoc subiecto vexatissimo hanc multum, multo mi-  
nus saepe quid adhuc Dissertationis loco scriptum sit.  
Hanc itaque arripui occasionem, & cum tempus  
vitæ meæ Academicæ valedicendi nunc appropin-  
quaret, *Dissertationem Inauguralem de BORACE*  
conscribere in me suscepi. Recte autem tunc tem-  
poris dixit Dn. **PRÆSES**, quod sit sal vexatissi-  
mum, id quod effatum verum expertus sum &  
multas mihi creavit vexas. Interim autem cum B.  
**LUTHERO** sentiendum, quando effatus est: *imus,*  
*ubi possimus, ubi non possimus, stamus.* Non qui-  
dem negandum est, quod in libris Chymicorum  
de hoc sale *fiat* mentio, nec aliqui omiserunt expe-  
rimenta cum borace instituere, quæ omnia pro meis  
hic venditare potuissent. Cum vero juxta **H O**-  
**R A T.** *dulcior ex ipso fonte bibantur aquæ;* ita ipse cum  
Borace experimentatus sum, secundum quorun-  
dam quidem chymicorum iunctitum, & quod ex  
hisce experimentis, quantum a me fieri potuit, de-  
ducendum fuit, infra exponam. Cui labori nec  
non reliquis meis conatibus, ut *Divina Clementia* sua  
benedictione semper adesse velit, ardenteribus preci-  
bus efflagito.

§. I.

**Q**uandoquidem de *Borace* differere mihi animus est, durum sane suscipio opus, siquidem tantæ inter eruditos sunt controversiae de hujus salis indole, deque illius modo præparandi & depurandi, ut fere erubescerem cum hujus tractatione in medium prodire, quoniam cum illis Viris Celeberrimis, quorum ingenia multopere exercuit boracis disquisitio, minime sim comparandus: attramen hoc non obstante, nullo modo deterreor, hanc tractationem in me suscipere, sperans, me ea aliquibus saltim utilitatem quandam allaturum. In limine iraque mox Boracis trado descriptionem sequentem: *Borax est Substantia mineralis aut fossilis salina albicans, pellucida, saporis dulc-americantis urinosi, crystallis polyedris prædicto & alumen maxime resevens, artificiali enchytris depurata.*

Ut ordo Dissertationem conscribendi rite & quantum fieri potest, observetur, ad *Onomatologiam* me proxime accingo. Derivatur iraque a voce Arabicæ *Baurack* sive *Baurac*, quod apud veteres nitrum significavit: *golius in Lexic. Arabico col. 260.* ex voce Arabicæ *Burack* vel *Burackon* Borax vulgare esse ortum autumat: nec multum dissentit *BRUNO in Lex. Medic. pag. 180.* scribens, quod Borax nomine suo proxime accedat ad Arabicum Baurac. Alii derivant a Græcis, uti *LEMERY in Lex. Material.* & quidem a βον clamor, sonus & έω, fluo provenire asserit, quoniam in certis fluminibus strepitum edentibus reperi existimat, quam sententiam quoque fovet *KENTMANNUS in Nomencl. fossil.* Huc etiam aliqua-

tenus spectant verba, quæ VIELHEYER in der Material-Beschreibung p. 26. posuit, inquiens: Der Borax wird gefunden in den fliessenden Wassern die das Turbetische Ge- bürge durchwandern; in dem Gründen solcher Flüsse, wächst der Borax zusammen wie die Corallen. confer. quoque POMETS aufsichtiger Materialist p. 775. item BURGGRAFF in *Lex. universal. cit. Borax.* MATHESIUS in seinen Berg-Predigten *concion. XI.* p. 170. putat, quoniam e terra eruitur Borax, quod inde ab *effodiendo* nomen nacta sit. *Synonimice* vocatur Sal uterinum a virtute quam possidet u- terinam, non minus quibusdam audit Sal Lucinæ & quæ sunt plura synonima vid. LANGIUS *Miscell. curios.* pag. 102. Sic etiam Auriocolla, Capistrum Auri appellatur, quoni- am aurifabri ad conglutinanda metalla presertim aurum & argentum eo utuntur: ob eandem qualitatem etiam vocatur Chrysocolla a græco verbo χρυσος aurum & colla i. e. gluten, sed magis improprie, nam Chrysocolla veterum Græcorum longe aliud sifit subjectum quam bo- rax, magna que intercedit differentia vid. PARACELSUS in *manuali Chirurg.* & FALLOPIUS *Cap. 31. de Metallis.* Siquidem Chrysocolla veterum Græcorum ut Dioscoridis & Galeni productum metallicum & æruginis natura- lis species est, & sunt ejus principia non alia, quam ve- nerea, unde septicam habet virtutem vid. DN. D. PRÆSI- DIS semper a me devenerandi *Mater. Med.* pag. 484. qua- re etiam non mirandum est, si secundum Dioscoridem vo- mitus, quin imo mortem procuraverit.

## §. III.

Quando nunc ad originem & ortum Boracis ani- mum dirigo, tunc magna hic occurrit inter eruditos con- trover-

trovergia: allii enim putant, quod Borax sit artis produc-  
 tum, ali vero naturale aut nativum subjectum es-  
 se contendunt. Inter illos, qui arte boracem confici  
 credunt, iterum summa quoad modum præparandi &  
 compositiones est discrepantia. Sic v. g. PARACEL-  
 sus in *Append. Chirurg. magnæ* tradit, quod optime  
 ex aluminis, salis Ammoniaci & Tartari calcinati anatica  
 portione in aqua bullientibus & in alcali coctis præparari  
 queat. RIVINUS in *Manuduct. ad Clym.* p. 44. eandem fe-  
 re paucis tamen mutatis addit compositionem: aliam  
 minus adæquatam boracis factitii compositionem exhibet  
 UNZER. in *tract. de Sale* p. 70. MATHESIUS *Theologus* qui-  
 dem, insuper autem metallurga versatissimus, Boracem  
 ex nitro & urina puerorum confici judicat in *SARREPTA*  
*conc. XI. pag. 170.* Alii fuerunt, qui alumnen crudum pul-  
 verisat, in lacte caprillo per ostium solvere & digere-  
 re, hinc rursus coagulare & loco boracis usurpare volu-  
 erunt, teste LENTILIO in *Ephem. Nat. Curios. Dec. II. An.*  
*III. append. p. 513.* Retulit etiam mihi DN. D. PRÆSES,  
 Mæcenas meus Optimus & Polyhistor sine pari, quod  
 aliquot ante annis Hamburgi fuerint, qui ex alumine Bo-  
 racem arte depromere arbitrati sint, sed oleum & ope-  
 ram perdiderunt: multum enim, uti facile credendum,  
 pecuniae huic labori impenderunt, nihilque adsecuti sunt:  
 nam in borace terra est subtiliter vitrescibilis, quæ non  
 æque in alumine reperitur, sed illius terra est Styptica,  
 crassa, adstringens. Jam citatus LENTILIUS addit etiam  
 l.a. Compositionem Boracis, quam Venetiis usualem esse  
 in manuscripto chemico quodam legerat & est talis.  
 „Rec. Lactis vaccini distillat. libr. ij. Mell. despum. Unc.  
 „iv. Croc. Unc. iij. Nitri purificati, ita ut nullam amplius

„acrimoniam habeat, sed subdulce sit libr. iv. in corpo-  
 „renrur omnia cum lacte dissolvendo ad ignem, demum  
 „mitte in olla vitreata in locum frigidum & humidum  
 „per mensem. Lapis deinde in fundo repertus sic ire-  
 „rum depuretur Rec. Dieti Lapid. libr. i. Aquæ Simpl.  
 „dest. libr. iv. ad ignem omnia dissolve, simulque despue-  
 „ma & cum nulla spuma superfuerit, refrigerata jam a-  
 „qua effundatur & invenies Boracem verissimam.„ An  
 ex qualibet harum compositione Borax acquiri possit  
 nec negare, nec affirmare audeo, siquidem, quod bene  
 fateor, nunquam cum illis periculum feci. Aliam Bora-  
 cis compositionem allegabo, quam nimirum SCHROE-  
 DERUS in *Pharmac.* sequentem in modum exhibit.  
 „Rec. Salis Ammoniac. nitri, Tartari calcinat. Gum. Arab.  
 „Salis commun. ana unc. i. Mastich. Alum. roch. ana unc.  
 „semis: Pulverisatis infundatur urina, filtretur & co-  
 quatur tam diu donec sal evadat.„ Verum enim vero  
*Frieder. HOFFMANN. in Clave ad Schräd. pag. 17. §. 280.*  
 penitus rejicit hancce methodum præparandi, inquiens,  
 quod Dni Auctoris (Schräderi nempe) compositio nul-  
 lius sit usus: idem judicium fert de hac compositione  
*ETTMÜLLER. in Comment. ad Schräderum.* Falso etiam  
 nonnulli autumant, Boracem Venetiis ex lapide specu-  
 lari Europæo parari, cuius asserti Patronus est KENT-  
 MANN. in *tr. de Lapid. subterrani.* Alli pertinaciter con-  
 tendunt, veram Boracem ex Sacharo, nitro, Soda & Tar-  
 taro confici posse. *PLINIUS Hist. Nat. Lib. 33. cap. 5.* re-  
 censet, dari Boracem herbaceam, nempe si borax factitia  
 cum herba quadam lutea tingitur. Singulæ vero ha-  
 compositiones cum nativi Boracis natura & genuinis il-  
 lius

Ius principiis neuriquam convenientur, sed quadam tenus Boraci æmula subjecta dicenda sunt; de quo etiam b. STAHLIUS in *suppl. Becher.* p. 203. mentionem injicit, quod sub præparatione Croci antimonii cuiusdam tale subiectum, Boraci æmulum, acquisiverit. Quanta igitur circa modum arte Boracem componendi sententiarum ac opinionum sit diversitas, quilibet facile perspiciet, ideoque plurimas saltim, quæ prostant de Borace compositiones, huc recitare fas omnino fuit. Plures quidem afferre possem, cum vero ex adductis diversæ Auctorum sententiae jam satis elucent, ita plures alias compositiones allegare non necessarium duxi.

## §. IV.

Est autem Borax non artis productum, sed omnino sal minerale, nativum, nam relatum reperimus, quod in India Orientali, quin imo in Persia quibusdam regionibus e terra effodiatur in forma Lapidis albi, quæ minera vocatur *Tincal* vel *Tincar* conf. *Casp.* HOFFMANN. in *Paralypom officinal.* Cap. L. & *Fried.* HOFFMANN. in *cl. ad Scbraederum l. a.* ubi dicit, quod vera Borax, qualis habemus, ex quadam minera conficiatur. Sie etiam LISTER de *Coneblyl. bivalv.* Part. III. pag. 146. quod ex sale quodam fossili Indico, *Tincal* dicto, Borax ortum suum trahat, affirmat. Nec dissentit AGRICOLA Lib. III. de *Natura fossil.* inquiens, quod sit sal nativum in terra repertrum, ac aliorum fossilium more excisum. Ex horum sententia stat quoque KENTMANNUS in *Nomencl. fossil.* pag. 10. CÆSALPINUS Lib. I. cap. 2. POMETS aufrichtiger Materialist loc. cit. STAHL in *specim. Becher.* pag. 104. DN. D. PRÆSES in *Chym. Sect. II. Cap. i. §. 25. p. 31.* Nicol. LE-

B 3

MERY

MERI in *Lex. Mater.* scribit: Borras ist ein mineralisches Salz, welches die Farbe wie Sal gemmae hat, auch so durchsichtig ist. Transfertur etiam hic lapis ab Insula Ceylon ad Belgas & Anglos, ubi vero non ita rite ac in Veneris parare sciunt: conf. MARX in der Material-Cammer. Ad genesin Boracis aut modum fiendi quod spestat, tunc non incongruum fore judico, si quædam de ea afferam, præsertim, cum in libris chymicorum plurimis, nulla de ea sit mentio. Ita autem refert Alexius PEDEMONTANVS in *Libro de Secretis Lib. VI. pag. 302.*

„quod in auri & argenti atque etiam æris fodinis Persia nonnullis aqua quædam inveniatur, quam una cum fæcibus collectam coquerent illi, qui huic commercio se dicarunt, ut in lapides concrescat, hisque axungiam porcinam vel alterius animalis pinguedinem adderent, quodque hoc facto ad fodinas se conferrent, ibique amplam fossam pararent, cuius fundum tali materia replebant & super hanc massam lapillos nominatos colloca- rent, deinde rursus adipis massam & sic stratum superstratum ad eam, quam optarent altitudinem, pergerent, illa tamen servata cautela, ut extremum stratum ex illa pingui materia constet. Post aliquot menses effodiuntur autem tales lapilli cum viscosa & adiposa substantia concreti, quam materiam aut massam deinde in dolia immittunt atque tali modo in varias regiones, ut de puretur, transvehunt. „ Cum hoc fiendi modo maxime consentit GEOFFROY in *Mater. Med. Part. I. de fossilibus p. 153.* qui iisdem, quibus Alexius PEDEMONTANUS in describenda hac Boracis genesi usus est circumstantiis. De Genesi Boracis in India Orientali conf. Paul HERMANNUS

MANNUS in *Cynos. Mater. Med.* pag. 318<sup>o</sup>. Talis itaque Borax quando effoditur e terra materia sebacea obducta est, quæ vocatur Borax cruda: sicuti de hac materia viscosa, boraci adhærente, etiam testatur LEMERY in *Lex. Mater. loc. cit. POMET. in Hist. Material. loc. cit.* qui etiam addit rationem, cur talis pinguis, viscosa materia illi adhæreat, nimirum, ut ab aëris ingressu & accessu præserveatur, alias enim ab illo calcinaretur. Ut itaque ab hac nominata viscosa & pingui materia separetur, transvehitur talis pasta ad varia loca, præsertim vero Venetias, ubi depuratur optime, ita ut in forma tali crystallina, uti venalis est, appareat, ideoque de loco, quippe quo deputatio ejus perficitur nomen *Boracis Veneta* nacta sit. Quomodo autem illa depuratio instituatur, quibus additamentis perficiatur, res est explicatu difficillima: nam Veneti semper pro arcano habent hanc artem, neque, uti facile credendum, aliquem ad suos officinas admittent. Interim purant quidam, quod mineræ tali antea cremaræ affundant urinam, item lixivium cinerum, quod deinde hancce miscelam coquunt, & ad crystallisationem reponant: conf. HERMANN. *Cynos. Mater. Med. l.c.* Alium depurandi modum allegat POMET. in *Hist. Mater. loc. cit.* Verum enim vero supra citatus jam Auctor Alexius PDEMONTANUS l.a.p.304. Methodum depurandi, perfecte, uti testatur, tradit: quoniam vero magna in ea describenda occurrit prolixitas, ita potius benevolum Lectorem ad librum ipsum alegababo. Saltim maximam præ se fert probabilitatem: vixit enim Vir ille in Italia & quidem Mediolani, tanquam loco non ita procul distante a Venetiis, ut ita majorem certitudinem de hac metho-

methodo depurandi Boracem acquirere potuerit, quam reliquæ nationes, & præterea refert iste auctor, quod Venetus cum muliere quadam, ab illo edocta ibi commoratus fuerit ac depurationem Boracis sustinuerit, unde magnum fecerit quæstum: insuper etiam in procœmio ponit, quod nihil hoc in libro continetur, quod non certissimum sit & verissimum. Ex his inquam circumstantiis fere ad veritatem processus concludere licet: interim vero nulli tanquam infallibilem veritatem obtrude-re volo; fides sit penes Auctorem. JUNGIUS in *Doxoscopia Physica Part. II. Sect. II. cap. VII.* putat, quod Borax ante cremationem & præparationem sit lapis albus, nullius saporis & qui in aqua non possit solvi.

## §. V.

Ad Notas bonitatis quod attinet, tunc Borax debet esse crassa, dura, alba, clara & pellucida: optima etiam est, quæ ex Venetiis affertur: ex Anglia & Hollandia quidem etiam apportatur; tamen hæc illud, quod Veneta præstat, præstare non valet. vid. MARX in der Material-Cammer p. 74. Præterea etiam prospiciendum, ne cum alumine sit adulterata & intermixta, nam impostores hac utuntur fraude, ut aluminis frusta in oleum amygdalium & lactis serum ponant: alii addunt mel vel sacharum, ut sapor acris, adstringens aluminis obtundatur vid. Alexius Pedemontian. loc. cit. Sed a peritis facile sequentibus detegi fraus porest; sapor enim aluminis valde adstringens est & acris, quallem vero in borace non sentimus: deinde, quando talis adulterata Borax funditur, non ita spumescit, & ebullit, uti borax vera, nec terram vitrescibilem, quæ post fusionem Boracis remaneret,

net, largitur, sed tantum materiam albam, friabilem relinquit: tertio etiam talis Borax adulterata non ita sese praestat & gerit in fusione & liquefactione metallo-rum, quam vera. Decidere autem, an nitrum, quod apud veteres sub nomine Baurach venit, idem cum bo-race fuerit, est difficilis. KENTMANNUS enim putavit, quod Borax sit de Prosapia nitri. Sic enim BERGER de *Thermis Carolin.* cap. IV. p. 30. refert, quod Borax nihil aliud sit ac nitrinati species. Sed illud non sentiendum est de Nitro nostrate, nitrum enim Veterum longe aliud sicut subjectum ac nitrum recentiorum, id quod bene an-notavit D.N. D. PRÆSES filiali amore & observantia sem-per a me colendus, in *Clym. Cap. III. de Acido nitri f. 1.* pag. 49. Sed adhuc alia suboritur confusio, dum quidam putant, uti inter alios MATHESIUS in seinen Berg-Pre-digten conc. XI. pag. 169. colum. 2. circa finem, quod vox Baurach & Borith sit una eademque: quando enim JE-REMIAS *Cap. 22. vers. 22.* dicit: *Etsi laveris te nitro & mul-tiplicaveris re Borib, tomen moclolutus es in iniuitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Hinc arbitratus est, quod Baurach & Borith sint Synonima, idque circa sic unum idemque, inquit enim MATHES. l.a. Dies hebræi-sche Wort Borith oder Borris, will schlecht der Goldschmie-de Borris oder Borrax seyn: ast ex historia naturali scimus, quod Borith sit herba illa, quæ a Botanicis Kali vocatur germ. Seiffen-Kraut, Glas-Kraut, quæ veteribus popu-lis in balneis usualis fuit, & quæ adhuc circa littora ma-ritima uberrime crescit, uti etiam non procul abhinc, ni-mirum zu Kelme an der Sulzke Kali illud geniculatum ma-jus in magna copia reperitur: plura autem qui desiderar-

C

adeat

adeat Job. Mich. LANGII Theologi Dissertationem primam de Herba Borith, ubi admodum diserte & prolixo de hac herba egit. Est itaque Borith vegetable, Baurach vero regnum minerale sibi vindicat. Videmus itaque haec duo subjecta ut cœlum a terra a se invicem discrepare, id. eoque non esse confundenda.

## §. VI.

Tradita jam jam paululum Historia naturali, proximum nunc erit, ut quid Borax, quoad substantiam, proprie sit, quale sal constitutus, indicem. Quodsi vero hanc tractationem in me suscipiam, cerre intricatum, arduumque aggredior opus, siquidem tam variae circa indolem corporis hujus salini circumvolunt sententiae, tanquam difficultas propriam hujus salis essentiam eruendi ab Auctoriibus profertur, ut profecto, quid statuendum, & ego ambigere jure debeam. Alii enim Boracem esse Alcali fixum, alii Acidum sal constituere asserunt & rursum aliis pro mixto ex acido & alcali sale reputare & hanc ob causam sal medium nuncupare Boracem volunt, licet omnia quæ prostant & quæ vocantur salia media ex acido vitriolico proprie aut ipsi analogo quoad essentiam & alcali quodam inter se invicem contemperatis conflata sint, rectius omnino judicarem: conf. DN. D. PRÆSES in Chymia Sect. II. cap. II. de Acido vitriolico Thes. VI. p. 36. Unde autem acidum vitriolicum in Borace? Verum enim vero, cum per artem chymicam corporum principia, aut partes constitutivæ optime eruantur & manifestæ reddantur; ita quoque normam hanc & regulam sequar, eaque cum Borace facta a me experimenta jam jam indicabo. Primo autem solvi Boracem in aqua, quæ miscela per tres fere

fere dies noctesque stetit, hunc quidem in finem, ut solutione inde evaderet saturior: Hanc solutionem in æquales divisi portiones, quarum alteri infundebam spiritum vitrioli, alteri vero oleum Tartari per deliquium admiscebam; sed quo cum effectu, queras? Nulla scilicet inde suborietur ebullitio, neque cum acido, neque cum alcali effervescentia contigit. Ex hoc quidem phænomeno quidam salis medii essentiam explicare & demonstrare putant, & licet verum sit, quod & salia media neque cum acido neque cum alcali effervescent, tamen ex hoc uno phænomeno & criterio ad salis medii præsentiam concludere velle, non sufficere mihi videtur, siquidem multa alia dantur subiecta, quæ neque cum acido, neque cum alcali effervescent aut ebullitionem subeunt: Quis autem quæsio illis nomen salis medii impetrare & attribuere vellet: Sic clarum & perspicuum nobis exhibet exemplum sapo. Si enim illi infundimus acidum spiritum, sive sit spiritus vitrioli, sive nitri, sive salis communis, tunc cum neutro horum effervescunt; alcali si saponi seorsim admiscimus, nullam quoque inde producimus alterationem. Quis ergo ex hoc solo fundamento, quia Borax nec cum alcali, nec cum acido effervescit, concludere veller, quod sit sal medium? Alia omnino mihi magis arrider ratio, quod nimirum partim unctuosa & pinguis substantia eidem insit, quæ impedimento est, quo minus particulae saline extricare sese possint: nam neque acida neque alcalia potentiam suam in corpora ralla, quæ cum paulo largiori principio pingui imbuta & imprægnata sunt, exercere possunt: partim autem ob

terræ vitrescibilis compactam ac densam admodum qualitatem haud facile efficaciam exerere possunt salia.

§. VII.

Statuens itaque materiam unctuosam, pinguem, quæ in Borace præsto est, impedire potissimum, quo minus essentiam salis perscrutari queamus, varias formavi meditationes, qua nempe ratione & encheiresi hæc substantia viscosa, pinguis semoveri possit, cum nuspian invenire potuerim, quomodo id assequi valerem. Simplicissimum autem mox instituebam experimentum, terebam enim Boracem cum cineribus lignorum, judicans materiam hancce pinguem absorberi a cineribus, cum alias constet, quod cineres cum materia pingui, oleosa, sebacea, unctuosa facile connubium ineant: Massulæ itaque huic, dicto modo præparatae, affundebam aquam, ut Borax saltim solvi posset, cumque perdiem noctemque steterat, solutionem filtrabam & dimidiæ solutionis parti instillabam spiritum vitrioli; alteri dimidio oleum Tarrati per deliq. admiscebam, nulla vero inde suborta effervescentia. Cum autem portioni solutionis, quæ adhuc in vitro in pauca admodum quantitate supra massulam remanserat, spiritum acidum infunderem, statim effervescebat: Mirum sane id mihi videbatur, qui eveniret, ut nunc effervescentia suboriantur: sed blanda hæc fraus mox detegebatur, cum considerarem, quod in cineribus lignorum alcali adsit & inde profecta sit acidi cum alcali ebullitio. Cum igitur viderem, hocce experimentum non ad vota succedere, aliud alio modo instituebam experimentum; sumebam nimirum furfurem secalinum & idem cum antecedendi fuit procedendi modus, nihil vero

vero quoque inde efficere potui. Licit autem, quod intendebam, re ipsa non evenerit, tamen ad illustracionem quandam meliorem huc apponere non dubitavi. Interim, quid alia a me facta experimenta promittant, nunc videndum. Quando igitur solutio Boracis cum syrupo violarum permiscetur, tunc viridem ille nanciscitur colorem, id quidem more alcalinorum contingit: Præterea etiam solutio Boracis solutionem Mercurii sublimati in colorem mutat aurantium: porro Borax solutus præcipitat solutionem vitrioli, Mercurii vivi in aqua fortiori solut: item solutionem argenti, nec non cupri in spiritu salis solut. præcipitat; Quæ singula satis superque de alcalina Boracis indole testantur. Si solutio Boracis cum solutione aluminis ad saturitatem usque miscetur i. e. usque dum solutio Boracis nihil amplius ex solutione aluminis præcipitat: & haec duæ permixtæ & combinatae solutiones, decantantur, filtrantur & evaporantur, tunc crystalli in sublime vase feruntur, quod experimentum de volatilitate Boracis testimonium præbet. Quando etiam solutio Boracis cum salis Ammoniaci solutione combinatur, tunc inde ascendit odor urinoſo-volatilis, id quod etiam expectandum & animadvertendum erit, si Borax cum sale Ammoniaco in mortario probe teritur. Nonne autem luculentissimum inde alcalinum Boracis principium potest demonstrari? periculum enim aliquis faciat, an cum acido etiam talis odor urinoſo-volatilis penetrans ex sale Ammoniaco elici & produci possit. Non credo.

## §. VIII.

Sicuti antea in liquidis & via humida tractavi Bo-  
C 3 racem;

racem; ita quid ignis aut via sicca valeat etiam tentandum erit & indicandum. Quando igitur Borax per se funditur in crucibulo, tunc inde exsurgit vapor, ebullit & spumescit vehementer. Post fusionem in crucibulo remanet vitrum pellucidum, elegantissimum, instar cristalli. Hoc experimentum itaque evidentissimum praebet testimonium, quod Borax & reliqua salia ex terra & aqua combinata sint: nam vapor, ebullitio & spumescencia, quae in fusione hujus subjecti animadvertuntur, de aqua portione hujus salis satis superque testantur. Terra autem se manifestat in pellucida illa dura atque compacta massa residua. Et praeterea, si ullibi, certo cum hoc experimento Terra prima BECHERI, quae est Vitreascibilis, omni cum veritate potest comprobari. Quamvis vero Borax post fusionem in tam durum vitrum mutetur, nihil tamen minus putavit HOMBERGIUS, quod Borax, jam avolata omni humiditate & in vitrum fusa, denovo solvi possit: illud autem veritati non responderet vid STAHLIUS in *tr. de Salibus pag. 27.* Periculum enim feci, sed praestare minime potui; siquidem tam dura est post fusionem massa, ut triturae in mortario ne obtumperet quidem, multum itaque absit, ut in aqua solvi possit iterum post fusionem. Si autem factum esset, tunc non omnis aqua avolata est ex borace & consequenter autem non in perfectum & durum vitrum redactum esse, arbitrandum.

## §. IX.

Quodsi vero Borax cum nitro fundatur, tunc non deflagrat cum nitro. Ex quo quidem phænomeno inflammabile principium in Borace dubium reddi possit:

nam

nam communis Chymicorum regula est & assertio, quod  
 illa corpora, quæ cum nitro deflagrant, de inflammabili,  
 sulphureo principio participent, & vicissim ea, quæ  
 cum nitro fusa, deflagrationem non manifestent, illo  
 principio φλογισθ̄ sint orbata. Licet autem hoc princi-  
 dium φλογισθ̄ si inflammabile non æque a priori, ex hoc  
 quidem experimen̄to manifestetur, tamen a posteriori  
 sive ex effectu satis demonstrari & probari potest & qui-  
 dem hoc processu, quando nimurum metallum quoddam  
 exustum, disgregatum & principio suo inflammabili de-  
 stitutum, cum Borace iterum funditur, tunc metallica  
 rursus emergit ac provenit facies, forma ac substantia,  
 quod non factum esset, nisi huic metallo exusto, a Bora-  
 ce principium inflammabile iterum fuisset suppeditatum.  
 Ut autem redeam unde veni, ad fusionem nimurum Bo-  
 racis cum nitro, tunc adhuc indicandum erit, quod re-  
 fidua in crucibulo pars, post fēmōtōnē ab igne, alba  
 & candida evaserit, quæ massa alcalinae indolis fuit ac  
 naturæ, nam effervescebat cum spiritu acido; præterea  
 autem aëri exposita liqueficit secundum alcalinorum na-  
 turam; sapor erat acris, causticus instar scoriæ reguli  
 antimonii, ex qua Tinctura antimonii conficitur. Quis  
 itaque mihi virtus vertet, si ex dictis etiam ad præsentiam  
 salis alcalini in Borace conclūdo? Objicere quidem pos-  
 set quispiam, quod potius terra alcalina nitri, quam Bo-  
 racis sit, quæ in crucibulo restitit. Sed huic respondeo,  
 quod omnino verum sit, quod, dum acidum nitri sub fu-  
 sione avolavit, ejusdem Terra alcalina remanserit: quum  
 vero multo major in crucibulo, quam additi nitri portio  
 restaret, certe difficile erit, terram Boracis residuum hic  
 excludere velle.

§. X.

Borax si per se & solitare ex retorta destillatur, nihil nisi aquam claram, nullius saporis & odoris obtinemus, remanet autem in retorta massa pellucida. Cum vero sine additamento nihil aliud ex Borace eliciendum esse arbitrarer, alter labor erat instituendus. Sumebam iraque Boracis unc. unam & dimidiam, spiritus vitrioli & olei vitrioli ana unc. unam. (*Nota*: Oleum vitrioli hunc in finem addere mihi placuit, ut saltim spiritus vitrioli jam paulisper debilitatus in actvitate sua acutatur). Boracem primo, deinde vero oleum & spiritum vitrioli indidi retortæ, magna mox aderat incalcentia adeo, ut retortam manibusprehendere nullus fere posset: Statim autem adornabam destillationem, quodque accepi, jam indico: liquor nimirum prodiit pellucidus, acidus sapore. Quid autem de hoc liquore sentiendum, num acidum est Boracis, vel est ipsummet acidum vitriolicum? Posteriorus potius affirmo, nec, ut arbitror sine ratione, siquidem, simulac adhuc processum pertinentia retortæ indiderim, confessim sine ulla digestione, destillationem instiuebam. Nunc autem constat, quod, quo duriora sunt corpora, eo tardior & difficilior in ea sit accessus & ingressus, quod etiam valet de Borace, nam ejus terra est firmissima ac densissima æque ac vitrescibilis, in cuius poros non ita facile intrare possunt salia. Quapropter acidum, quod affusum erat, viriolicum, adhuc liberum rursus vi ignis in vas recipiens transire debuit. Quod data hæc ratio vera ac veritate & effectu fundata sit, experimentum, mox fecuturum multo magis confirmabit. Interim autem, antequam hunc defero processum, adhuc de Capite

pite mortuo pauca erunt notanda. Obscura nimirum & nigricans erat massa, huic affundebam aquam puram, fontanam & tali modo paratam seposui, quo factum est, ut quatuor aut quinque dierum spatio, potiori & majori aquæ parte tum evaporata, crystalli in altissimum vasis sublimati in conspectum venirent, qua de causa non vereor asserere, volatilitatem Boracis inde esse quodammodo demonstrandam, & hoc illud constituit Sal volatile Boracis, quod HOMBERGIUS referente B. STAHLIO *in tr. de Salibus p. 27.* ex Borace, mediante oleo vitrioli elicuit, licet non sit ita volatile, ut in libero aëre avolet: nec sapor adeo urinosus est, tamen salinus.

## §. XI.

Sequitur nunc illud experimentum, ad quod præcedente §o provocavi, & ita sese habet: scilicet sumbam Boracis unc. unam, Spiritus vitrioli eandem quantitatem: indidi retortæ Boracem, huic superaffundebam spiritum vitrioli; hoc facto, retortam cum miscela seposui ac per duos dies in digestione reliqui: postea vero destillationem institui ex capella arenaria, illa vero igne non ita forti, sed mediocri peracta, obtinui liquorem limpidum, pellucidum, clarum, non acidum, quod bene notandum, sed sapor erat unctuosus, viscosus, paululum insuper salsus & fere dixerim, quod oleo Tartari per deliquium aliquo modo accedat, nisi quod cum acidis non effervescat. Sed cur, quæso, in hoc processu non æque ac in antecedenti acidum prodiit? Dispiciendum itaque est, unde contigerit. Totum autem punctum differentiatione productorum in eo consistit, ut in hoc experimento ante destillationem digestio sufficiens instituta fuerit, hunc

D

quidem

quidem in finem, ut moxa temporis acidum vitriolicum efficaciam suam in terram Boracis, alias compactissimam, exerere possit, quæ vero digestio in priori casu minime facta fuit, quæ tamen ad ingressum in talem firmissimam terram sibi parandam summe necessaria fuit. Liquor hic prodiens autem nihil aliud est, quam phlegma Boracis cum pingui substantia remixta, quæ eadem de inflammabili Boracis principio testatur. Præterea autem Caput mortuum hujus processus etiam examinandum venit. Erat massa, quæ in retorta post destillationem restiterat, albicans, sicca, non densa, sed porosa, levis insuper & mucilis splendescientibus ubique intertexta. Sed admiratione sane dignum judico illud phænomenon, quando nimirum hocce caput mortuum per aliquot dies asservatur, tunc plane deliquescit & massa evadit viscosa ac glutinosa instar gummi Arabici soluti & inspissati. Sed unde hæc deliquescentia & subsequens visciditas dependeat, divinatu profecto difficile erit: attamen, ut explicacionem non sicco pede transeam, hanc saltim sententiam fo-  
veo, quod hæc alteratio maxime aëris qualitati deliquatoria sit attribuenda; siquidem spiritus vitrioli se cum terra vitrescibili Boracis intime miscuit & per calorem, abstracto nominato liquore, condensatus & exsiccatus fuit: Cum vero aër accessit & supervenit, tunc virtute sua deliquatoria massam hanc, antea solidam & sicciam ita immutavit, ut talem liquabilem & glutinosam qualitatem & consistentiam acquisiverit: quemadmodum præterea verosimile mihi videtur, quod terra Boracis alcalina ab acido non satis fuerit saturata, unde etiam multo facilius in talem liquidam massam ab aëre converti potuit.

Analo-

Analogiam hujus phenomeni & illius explicationis suppeditatae clare videmus, quando sal commune aëri libero exponitur, licet antea siccum sit, tamen aëris accessu deliquescit; id quod tanto celerius contingit, quando in tali sale prædominatur alcali. Sed nunc etiam indicandum erit, quomodo amplius hocce Caput mortuum træsti. Solvi autem illud in aqua pura, solutionem evaporavi & ad crystallisationem deposui & exinde imprimavi crystallos magis depresso admodum parvas, hastatas, facile in ore deliquescentes, saporis dulc amaricantis, quod aliquatenus indicium salis medii præbet. Ratio autem totius hujus processus ita sece habet: acidum vitriolicum se combinavit cum terra alcalina Boracis eamque resolvit ita, ut liquor iste pinguis supra notatus transire debuerit & alcali Boracis remanserit. Cogitabam quidem acidum ex Borace mediante hoc spiritu vitriolico depromere, cum alias acidum vitriolicum inter reliqua acida est potentissimum, quod omnia acida superat & a compedibus suis liberat, ita ut quasi in nuda sua substantia transire per destillationem debeant: sic v. g. cum acido vitriolico spiritum nitri & salis communis elicere possumus facili opera conf. D. N. D. PRÆSIDIS *Chym.* loc. cit. *ebef. XIV. p. 39.* & in *diss. de Vitrioli elo<sup>go</sup>*. Sed propositum meum non adsecutus sum? Interea tamen aliqui putant, quod acidum ex Borace obtineri queat, uti BECHERUS in *Phys. sua subterr. pag. 272.* inquiens, Boracem ex terra vitrescibili & acido universal constare. Quid quod B. STAHLIUS hanc sententiam fovet in *Chym. p. n. s. XI.* licet in *specim. Becher.* magis pro alcalino Boracis principio militet. Præterea autem HENCKEL. in

*Flora Saturnizante* pag. 263. tradit, quod acidum ex Borace sit eliciendum, si modo rite tractaretur. Sed optandum omnino esset, ut hic auctor genuinam tractationem & modum procedendi indicasset. Sed hoc chymicum ænigma ulteriori indagationi & chymico scrutinio est relinquendum. Ego saltem secundum a me facta & adducta experimenta non aliter judicare & concludere possum, quam quod *Borax constet ex Terra urinosa-alcalina vitrescibili cum pingui, inflammabili & pouisper volatile principio combinata*. Similis fere analysis Boracis reperitur in A.E.L. mens. August. An. 1706. p. 368. ubi verba sic sonant: „Boracem vero sicuti Dn. LEMERY salibus „, falsis ideo annumerat, quod nec cum acidis, nec cum „, alcalicis effervescat: ita destillationem tam per se, quam „, cum aliquo additamento adornat. Boracis quippe libram unam, igne reverberii per gradus e retorta magna destillatam, multum intumescere, ac non nisi aquæ „, limpidæ & insipidæ cum neutro salium ebullientis un- „, cias sex cum drachmis totidem suppeditare, restanti- „, bus uncii novem & drachmis duabus vitri elegantissi- „, mi ad instar crystalli, quod in aqua nihilominus solvi „, & loco insignis diuretici propinari valer. Ex Boracis „, autem uncia semis cum duplo argillæ siccae per destil- „, lationem liquoris limpidi salini ac urinosi drachmas „, tres acquiri, e diverso ex Borace cum sale Tarraci „, quam ingratam & unctuosam obtineri: indicio mani- „, festo, quia ex Borace haberi nequit, illum ex sale falso „, urinoso & pauca substantia oleosa sive bituminosa con- „, stare. „ Ceterum qui plura circa hoc subjectum experimen- „, tationa, variasque observationes scire cupit, evolvat

Com.

*Comm. Litterar. Norimberg. An. XXXIV. Hebdom. XVIII. pag. 139. seq. & An. XXXVII. Hebdom. XLVI. pag. 364. sqq. adeat quoque DN. D. PRÆSIDIS Lexicon reale tit. Borax, ubi varia de Borace allegata inveniet.*

## §. XII.

Superest adhuc, ut, quales virtutes atque dotes possideat Borax, nunc significem. Est autem tam usibus mechanicis, metallurgicis, chymicis, quam medicis destinata substantia: quod ad usus Mechanicos attinet, tunc præser-  
tim fabri aurariae eam adhibent ad aurum & argentum fer-  
ruminandum & conglutinandum; in arte vitriaria confert  
ad vitra clarificanda & crystallisanda: quinimo gemmæ  
artificiales, aliisque lapides naturalibus pretiosis æmuli  
mediante illa confici possunt: vid. NERI *Ars Vitriaria* &  
KUNCKELIUS in *Commentar. in Neri Artes Vitriar.* FAL-  
LOPIUS in seinen *Kunst-Büche*. Sic etiam DN. D. PRÆ-  
SES tales Lapides pretiosis æmulos, quos ipse confecit  
mediante Borace mihi demonstravit, qui sane oculos ma-  
gno afficiunt oblectamento. Uruntur quoque fabri æra-  
rii, quando illud metallum; quod in vernacula audit  
Prinzipmetall, parare volunt e.g. Sumunt Cadmiæ & Cu-  
pri ana libr. unam, Boracis unc. unam, Nitri unc. dimid.  
quam massam fundunt & tale metallum inde depromunt.  
Non minus aurum sophisticum mediante Borace confici  
potest, qualem compositionem tradit DN. D. PRÆSES in  
*Physica sua subterranea in MST Sect. i. Cap. i. de Auro.*  
In Metallurgicis ad fusionem & fluorem metallorum faci-  
litandum adhibetur Borax, unde analogiam habet cum  
Lapide illo albo scissili, qui a metallicolis vocatur Quare,  
& hunc metallifusores mineris addunt, quæ fusioni ægre

D 3

obtem-

obtemperant, indeque fusionem faciliorem & citiorem efficiunt. Sic Borax etiam talem qualitatem metalla li- quabilia & fusibilia reddendi possidet. Verum enim vero, si aurum cum Borace funditur, inde illud colorem suum naturalem amittit & pallorem induit: ad hoc vero averrendum, aliquid de sale Ammoniaco aut nitro super addendum erit; de quo vid. CRAMERUS in *Arte Docimast.*  
*Part. I. s. 135. pag. 16.* qui idem auctor quoque exhibet encheiresin, quando nimurum cariora metalla, ut aurum & argentum quis fundere velit, ut cum Borace crucibuli intus perfricentur, prius, quam talia metalla immitterentur, tunc fieret, ut foveolæ tenui crusta vitrea sub fusione obducentur, ne interna crucibuli alias cavernosa superficies cum metallo tali impleretur. Non minus ad-minutissimam quoque ex argento cupri portionem educendam Borax cum nitro adhiberi potest: conf. STAHLII  
*Dissert. de Metallurgia & Docimastæ fundamentis pag. 71.*  
In Chymicis ad vitrum Antimonii extemporaneum præ-parandum confert: metalla disgragata, dissoluta, exusta & principio inflammabili destituta iterum reducit & in unam congeriem ac regulum redigit, quod inflammabili suo principio est adscribendum. Nunc, quid in Medicina valeat Borax, quales vires & virtutes inde expectandæ veniant, erit adducendum. Efficax autem est & operatur partim cum principio suo salino, partim cum inflammabili & volatili suo principio: cum priori ergo, salino nempe, abstergit, incidit, resolvit & attenuat, quare in Morbis Chronicis etiam cum salina sua substantia adhiberi potest, diuresin movet, nam stimulat vias urinarias & hinc merito inter Aphrodisiaca remedia referrur, sic-  
uti

uri etiam ROLFINC. in Ord. & Metb. Medic. special. Lib. IX.  
 Sect. V. Cap. 1. pag. 823. WEDEL. in Ammonior. Mater. Med.  
 pag. 480. DN. D. PRÆSES in Physica sua subterranea in  
 MST. tit. Borax, talibus remediis annumerant, nec minus  
 HERMANNUS in Cynos. Mater. Med. p. 318. Bolum ad vene-  
 rem stimulandam sequenti modo tradit „Rec. Elect. Dia-  
 „satyr. Drachni. duas Borac. Scrupul. unum M. In pri-  
 mis autem summopere laudatur ad menses, Lochia & hæ-  
 morrhoides promovendas, item ad molari, secundinas  
 restitantes, scutum mortuum excludendum. In partu dif-  
 ficiili tanquam specifico eo utuntur practici, hinc Georg.  
 Wolffg. WEDEL. in Dissert. de Partu difficulti, Boracem tan-  
 quam probatissimum remedium ad partum facilitandum  
 laudat, simulque mirandum esse judicat, cur Casp. HOFF-  
 MANNUS in Paralypom. officinal. cap. 55. pag. 533. scribat:  
 „pulverem ex Borace secretissimum olim habitum pro æ-  
 „gre parturientibus, sed nullum se bonum effectum vi-  
 „disse. „ Verum enim vero restantur præterea de hac  
 virtute ROLFINC. ALBINUS, LANGIUS in Dissertationibus  
 de Partu difficulti: item STAHLIUS in Dissert. de Fœtu mor-  
 tuo: nec denegat Boraci talem virtutem expulsivam DN.  
 D. PRÆSES, vid. Ejusd Therap. General. Cap. XII. de Ex-  
 clusione secundinarum, molarum & mortui Fetus rhes. ult.  
 Præterea autem confert ad Dolores post partum, quando  
 nimis isti dolores ab adnascientia & adhaesione secun-  
 dinarum oriuntur: conf. FASCHII disserr. de Doloribus post  
 partum. Nec incongruum fore judico, si B. LUDOVICI  
 judicium de virtute Boracis hisce adnecto, inquit enim in  
 Oper. Diff. I. de Aperiensibus Mineralibus pag. 251. „Super-  
 „est Borax, quem . . . selectui nostro tandem appen-  
 „demus,

„demus, tanquam positis potioribus requisitis, *irritans*  
 „haud postremum; etiam solitarie, praesertim in secun-  
 „dinis exhibitum. „ Tales virtutes autem praestat Bor-  
 rax partim cum principio suo inflammabili & volatili,  
 dum massæ sanguineæ citiorem & celeriorem motum con-  
 ciliat, partim quoque cum principio salino, dum fibras  
 motrices ad blandam constrictionem excitat. Sed scien-  
 dum, quod Borax hisce qualitatibus plane contrarias vir-  
 tutes assumat, quando videlicet usque ad expulsionem o-  
 mnis salis calcinatur: cum enim antea in ordinaria sua  
 qualitate & substantia menses, lochia &c. promovit, nunc  
 vero calcinatus magis adstringit & fluxus tales retinet &  
 specificie a nonnullis laudatur in fluxibus alvi: conf. HER-  
 HANNUS in *Cyno. Mater. med. loc. cit.* Insuper tanquam  
 præcipuum remedium in Gonorrhœa Borax calcinata ex-  
 tollitur & Antaphrodisiacum remedium esse fertur: conf.  
 BONFUS in *Polyoltbe Tom. II. pag. 121.* Externe ad car-  
 nem luxuriantem absumentam, item ad vulnera consoli-  
 danda commendatur; vid. GALEN. *de Simpl. Facult. lib. IX.*  
 in fine. *Dioscorides Lib. V. p. 104.* RULANDUS & JOHNS.  
 in *Lex. Chiocc. in Mus. Calceol. Sect. 3. pag. 375.* Quod tan-  
 quam Cosmeticum ad dealbandam cutem a mulierculis  
 adhibeatur & quidem ex ea persuasione, quia Borax pan-  
 nis sericis nitorem conciliat, testatur GEOFFROY *Mater.*  
*Med. p. 154.* Quod ad Præparata denique attinet, tunc a  
 quibusdam veteribus practicis specierum *Diaboracis* fit  
 mentio, quæ vero hodie non amplius in officinis prostant.  
 Ceterum vero Borax ingreditur communem & ordinari-  
 um Pulverem ad Partum. Sim. PAULI in *Quodripare. Bo-*  
*tan. class. 3. p. 403.* describit pulverem ad facilitandum par-  
 tum

rum BACKMEISTERI & est sequens: „Rec. sem. Lavend.  
 „unc. sem. succin. alb. ppt. Borac. ana scrup. duos olei  
 „Cinnamom gt. jx. F. L. a. pulv. Divid. in iij. p. æ. propi-  
 „nandus in vino Rhenano. Borax autem ordinarie in  
 substantia sub forma pulverulenta a scrup. semis ad scrup-  
 pulum unum, quid quod a quibusdam ad drachmam dimi-  
 diam ordinatur. Ingreditur quoque Borax Unguentum  
 Citrinum *Dni Charas* teste GEOFFROY l.c. Cererum de  
 usu Boracis adhuc conferri merentur ETTMÜLLER in  
*Commentar. in Schräderum. UNZER tr. de Sale. FALLO-*  
*PIUS tr. de Metall. & Fossil. FAVENTINUS in Empiria Cap.*  
*47. MONTUUS in Andsece Morbor. tom. III. cap. IV. MER-*  
*CURIALIS de morbis Mulierum Lib. 2. cap. 3. Rodericus a*  
*CASTRO Lib. IV. c. VI. de morbis Mulierum.*

## §. XIII.

Licet autem hoc sal tam egregias qualitates & vir-  
 tutes habere dicatur & celeberrimi medici practici opti-  
 mo effectu eo urantur; nihil tamen secius non defue-  
 runt, qui Boracem ad venena referre non dubitarunt, cu-  
 jus sententiae patronus est BONETUS in *Polyalthe tom. III.*  
*Lib. V. de Venenis cap. XXXV. pag. 550.* Ait! unde quæ-  
 so huic sali venenositas & virulentia? Error sane est ma-  
 ximus, isque inde subortus esse videtur, quod nonnulli  
 veterum hoc subiectum cum Chrysocolla confuderunt &  
 sub nomine Boracis Chrysocollam & vice versa intelle-  
 xerunt: poruit inde itaque fieri, ut quis hujus distinctionis  
 expers & qui differentiam inter utraque subjecta non col-  
 locavit, loco salis nostri veram Chrysocollam adhibuerit.  
 Nunc autem, uti jam superius demonstratum fuit, Chry-  
 socolla vera est subiectum metallicum æruginosum, quod

E

ex

ex principiis maxime cupreis constat , quodque vehementes arrofiones, excoriationes, inflammations, sphaelationes, quinimo mortem omnino causari potest, itaque venenorum more operatur. Item hæc veneni accusatio inde quodammodo originem trahere & ducere potuit, quando nimirum imperiti, nimis temere & ultra dosin, in nimia quantitate Boracem nostram veram præbuerint sic v. g. accidere potuit, ut feciminæ cuidam, quæ utero gessit, aliquis eam in prodiga quantitate adhibuerit, ibi certe propter notatam, alias tamen satis securam vim, pellentem fetus exclusio contingere potest, ut itaque abortus cum multo sanguinis profluvio oriatur, & fecimina, nisi occurratur illi in tempore , e vita discedere oporteat. Hisce & ejusmodi modis consimilibus talis nociva qualitas & operatio hujus salis evenire potest. Sic etiam talem nocivam efficaciam exercere valer Borax, quando cum alumine est adulterata. Alioquin autem minime venenosí quid in se continet, qua propter etiam rete & omni jure *Paul. ZACHIAS in Question. Med. Legal.* tom. III. consl. XIII. n. 7. questionem : *an nimirum Borax sit venenum?* negative decidit & rationibus suffulcit.

## § XIV.

Hæc sunt B. L., quæ secundum ingenii mei modum de Borace differere mihi placuit. Quodsi vero hæc tractatio non penitus ad desiderium tuum & expectationem elaborata & diuincta fuerit, abs Te peto L. B. ut æqui bonique consulas & consideres, me hanc Dissertationem minime, ut docere, sed ut discere velim, scripsisse. Interim humillimas ago gratias summo, quod in cœlis residet, Numini, pro illis, quas adhunc laborem suscipiendum.

endum mihi concessit viribus & pro immerita, quam ha-  
ctenus meis studiis adspiravit, clementia. Faxit idem,  
quod imploro, Numen, ut omnes mei conatus & reliqui  
labores in sui gloriam cedant, quo salutaris sem.  
per & optatus obtineatur.

F I N I S.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**

*Eueγγλον* precatur

P R A E S E S.

**T**andem a me ultimum vale & benedictionis vota,  
descessum a Lyceo nostro & redditum in parriam  
propositum, comitantia petiisti; non porci igitur  
non, quin voluntati Tuæ annuentes præbuerim aures:  
quinque prope effluxerunt anni, quibus in hac Musarum  
fede Medico Studio, quoad singulas ejus disciplinas, nec  
non Philosophiæ, quoad varias illius partes, indefessam,  
constantem & ardentem operam dediti; in variis scholis  
& institutionibus ex ore & manuductione diversorum  
Clarissimorum Virorum utilissima & saluberrima dogma-  
ta hausisti, nec minus ingenuis moribus aut pravis confue-  
tudinibus Sectarium Te præbuisti, aut vexillo unius solius  
docentis adjurasti, ideoque haud idololatriam medicam  
commisisti, sed meis monitis ita obtemperasti, ut undi-

E 2

que

que flores frugiferarum & honestarum scientiarum magno fœnore secundaque messe collegaris , insuperque honesto, tranquillo, sobrio, quieto, pacifico & restricto vitæ genere Te commendaveris, ideoque egregios profectus in scientiis & artibus , Medico scopo quadrantibus, acquisivisti, quibus spem patriæ implere & parentum postulata abunde superare poteris: testem oculatum me exhibeo , quod mea institutione optima attentione ac solertia usus sis, & sub reliqua curta atque angusta Tua cœconomia academica media & adminicula Tua sine ulla prodigalitatis aut malæ & suspectæ usurpationis specie, parce, sollicite & ad summam necessitatem apposite applicueris, ut saltim haud interrupto ardore studia ad fructuosam maturitatem prosequi potueris, quamvis beneficia Tibi in hac Academia abunde collata, multis modis reliqua domestica adminicula, Tibi refracta dosi propinata, superent. Ast sub divino directorio & adjutorio tandem in Studio Medico affatim maturus opus ipsum artificiose exercitacionis cum Deo aggredi constituisti; quare non solum de præclaro Studiorum Tuorum thesauro & cimelio, quæ Ordini Medicorum apud nos abunde & egregie probasti, sed & de promerito brabeo academico, quod nunc Tibi velut Sigillum boni Medici tribuitur, favente animo gratalor, eo magis quando Specimen Tuum Inaugurale, quod solus magna solertia, docto pariter ac exquisito judicio elaborasti, non levis Subiecti argumentum, sed memorabile egregiæ Tuæ cognitionis documentum complectitur. Fruere CANDIDATE Meritissime hac felicitate, hac industriae Tuæ corona atque publicis hisce honoribus sub cœlesti benedictione sub indies augescente mentis ac sanitatis firmitate & robore diu & tranquille, nec unquam

quam obliuioſæ memoriæ ea tradas, quæ a Summo ac cœ-  
leſti Patrono apud nos benigna & benifica manu in Te  
collata ſunt munera. Vale. Dab. Halæ Magdeb. X. Ca-  
lend. Novembr. A. O. R. cl. Icc. XLV.

---

VIRO JUVENI PRÆNOBILISSIMO,  
DOCTISSIMOQUE

## CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

D. HENRICUS CHRISTIANUS ALBERTI,

Confil. Aulic. & Physiol. ac Botanic. P. P. Extraord.

**L**AUDABILI certe! instituto factum est, ut, CANDI-  
DATE DIGNISSIME, ſubiectum aliquod,  
quod Borax nuacupatur, pro themate disputato-  
riæ exercitationis Academicæ affūmere decreveris. Et  
adhuc magis laudabili instituto factum, ut prudenti habi-  
to deleſtu, in tam nobile materiæ medicæ ſubiectum in-  
cideris, quippe quod jure meritoque inter instrumenta  
medica sanitatis humanae recenſetur; taceo, quod & illi  
arti, quæ excoquendis metallis infudat, adminicula flu-  
xus metallorum, fusioni refractariorum, ingrediendo,  
laudabiles præſtet operas, præterea variis uſibus mecha-  
nicis, præfertim aurifabris inserviat. Sed illud, quod in-  
ſtitutum Tuum maxime laudabile reddit, eft, quod eru-  
dita Tua pertractione ſubiectum Tuum magis adhuc  
nobilitaveris. Licet quidam glificat inter Autores diſſen-  
ſus, nullam dari boracem facturam, & omnem eſſe nativam;  
hoc tamen nihil impedit, quo minus Te illius vir-

tutum præconem invenerit. Insimul specimen hoc  
profectuum academicum commodam mihi præbuit occa-  
sionem, congratulandi officio haud deesse. Per quin-  
quennium in Illustri nostro Musarum prytaneo commo-  
rans nunquam sylvestre quoddam ingenium exhibui-  
sti; hinc semper imitandis rectis docilem Te præbuisti.  
Præterea intra hoc tempus sanctioris medicinae sacris,  
singulari industriae constantia operatus es. Et licet se-  
quior Tu fueris fortuna Tua! quo tenuior tamen fuit for-  
tuna, eo magis Te tenuit semper colendæ artis divinæ  
studium. Hinc non possum non, quin Te summos in  
Medicina honores digne capessentem, redditumque ad pa-  
trios lares parentem non tantum faustis adprecationibus  
prosequar, sed & mihi de auditore tam bene morato  
& industriae laude claro, parentibus de filio docto, &  
patre de Medico felici gratulor. Si quid valeo, Tuis in-  
servire commodis, me semper habebis paratissimum.  
Vale. Scrib. in Regia Frideriana ad d. XIX. Octobr.  
A.R.S. cl<sup>o</sup> Iocc xlv.

---

**S**ie, wenn nach überstandnen ~~Steite~~,  
Ein muntrer Fechter Ruhe kriegt;  
So hast Du werther Freund auch heute  
Biel Jammer, Noth und Pein besiegt,  
Dit hast hienit die frohen Stunden,  
Nach vielen Ungemach gefunden,  
Minerva giebet nur den Preis  
Dem, der ihr recht zu dienen weis  
Drum scheinet auch die Freuden-Sonne,  
An diesen frohen Tag, zu Deinen Ruhm und Wonne.  
Dein

Dein Fleiß weist Dir, wie sichs gebühret;  
Auch heute das Catheder an,  
Zu zeigen, wie Du hast studiret,  
Wie man den Kranken helffen kan;  
Wie Du die Zeit wohl angewendet,  
Ja keine Viertelstund verschwendet  
Wie manchen Tag, wie manche Nacht,  
Du bey den Büchern zugebracht:  
Da Dich Minerva so befunden.  
Hat sie zu Deinen Lohn, den Lorber-Kranz ge-  
wunden.

Fridriciana soll Dir bringen  
Zu Deinen wohlverdienten Lohn  
Den Doctor-Huth; und ich will singen,  
Ein Lohlied ihren lieben Sohn.  
Es müsse Dir nach Wunsche gehen,  
Viel Kranke müssen um Dich stehen,  
Des Höchsten treu Gnaden-Hand  
Sey allezeit auf Dich gewand,  
Und kurz zu sagen: was ich meine,  
So bleib mir zugethan, ich bleibe stets der Deine.

G. G. WENDT,  
Med. D. Oppon.

---

**G**Erndtest Du mein Freund, die Frucht von Deinem  
Fleisse;  
Freund den die Nedlichkeit noch in der Asche liebt,  
Dir wächst ein Purpur-Hut, aus den Gelehrten Schweiße,  
Den Dir Hygäens Chor, mit vollen Beyfall giebt,  
Schau

Schau hier ein Epheu-Blat, daß Deine Freundschafts-  
Trieb,  
Zwar schleichend, doch voll Brunst und reinen Feuer ehrt,  
Nichts wünsch ich, wird mir nur das einzige gewehrt,  
Dass Du mich liebst mein Freund, wie ich Dich allzeit  
liebe.

JOH. FRANCISC. WELTZ,  
Med. Cand. Opponens.



He 157. 8°

?

ULB Halle  
002 179 687

3



sb





DISSESSATIO INAUGURALIS CHYMICO-MEDICA,  
DE  
**BORACE,**  
*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu arque Auctoritate Gratijs Facultatis Medicae,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E  
**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE  
PUBLICO ORDINARIO, ETC.  
FACULT. MEDICÆ SENIORE  
*Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*  
**PRO GRADU DOCTORIS**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQUE CONVENTIS,  
ANNO MDCCXLV. D. OCTOBR.  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
AUCTOR ET RESPONDENS  
**HENRICUS CONRADUS RENNEWALD,**  
GOSLARIENSIS.  

---

---

**HALÆ MAGDEBURGICÆ,**  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.